

sæpiùs periculosisimos Scriptura exhibet; ita etiam non desunt varia contra eosdem remedia, quæ inibi itidem suppeditantur. Quàm peculiaris est ille modus, qui ex divino mandato in Lepræ curatione observabatur? Quantam meretur attentionem æneus ille serpens, qui malignos igneorum serpentum ictus levavit? Et cui, quælo, mira non sunt, quæ de Christo Medico divinâ fide perhibentur? Is enim unico sæpiùs verbo eos etiam morbos sanavit, qui aliàs humanâ ope repelli neutiq;vam poterant. *Divini* videlicet vulgò in Medicorum Scholis nominantur, suntq;ve, prout nos *Voglerus l.c. p. 260.* instruit, non tantùm, qui ab ipso met Deo immediatè immittuntur, sed etiam, qui ab ipso *Cacodæmone*: omnes videlicet illi, qui non à causis naturalibus sed supernaturalibus vel omni ex parte vel quadantenus salutem dependent ac oriuntur. Qui itidem remediis aliàs experitius frustra oppugnantur, imò iis manifestè exacerbantur. Nos missis jam & morbis & remediis hæcenus recensitis, ægrum nobis è S. literis sistemus alium, cujus & morbus & Medicina peculiarem omninò considerationem meretur. Est is (ut jam insinuavit Dissertationis nostræ Inscriptio,) *Saul per Musicam curatus*, de quo, non refragante justâ Methodo, ita sumus acturi, ut, factâ totius Tractationis in duo Capita distributione, primùm *Saulis morbus*, ac deinceps *Remedium* contra eum adhibitum expendatur, ac quæ utrinq; elici poterunt Porismata suo quæq;ve Capiti ordine annectantur. Faxit Deus etiam atq; etiam FELICITER!